



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XC. Constantinvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

## CONSTANTINVS.

A.DCCVIII.

**C**ONSTANTINVS, natione Syrus, ex patre Ioanne, sedit annos 7. dies 15. Hic ordinauit Felicem Archiepiscopum Rauennatem, qui iuxta antecessorum suorum consuetudinem scribere noluit, fastu arrogantia tentus. Qui postea elatione superbiae suae à Iustiniano Augusto capi iubetur, oculis priuatur, & in exilium in Ponticam mittitur: Sed mortuo Imperatore ad sedem propriam reuertitur, & sic humiliatus ab Apostolica sede veniam petit, & absolutionem promeruit. Prædicti Papæ temporibus venit Romam Benedictus Mediolanensis Archiepiscopus, & certauit pro Ecclesia Ticinensi, sed conuictus est, eo quod à præfatis temporibus Ticinensis Ecclesiae antistitis consecratio ad sedis Apostolicæ Pontificem pertinebat. Ordinauit autem Episcopos 64. presbyteros 10. diaconos 2. Obiit autem 6. Idus April.

## X C I.

## S. GREGORIUS II.

A.DCCXIV.

**G**REGORIUS, natione Romanus, ex patre Marcello, sedit annos 16. menses 9. dies 11. Hic in Germania per Bonifacium Episcopum verbum salutis prædicauit, & gentem illam sedentem in tenebris doctrina lucis conuertit ad Christum. Huius temporibus Sarraceni Franciã occupare conati sunt, sed iudicio DEI vna die trecēti & sexaginta quinq; millia à Francis ceciderūt, vt epistola à Francorum Duce Pontifici missa continebat. Hic constituit, vt Quadragesimali tempore, quinta videlicet feria ieiunium, atque Missarum celebratio fieret, quod prius non fiebat. Huius temporibus L E O Imperator ad peiora progressus compulit omnes Constantinopoli habitantes, vt Sanctorum imagines deponerent, & igni consumerent. Cuius errori, quia GERMANVS non consensit Patriarcha, à sede est pulsus, & in eius loco Anastasius presbyter est ordinatus. Hic in Synodo communi omnium præfidentium iudicio confirmando dixit. *Si quis presbyteram, aut diaconissam, aut monachã, aut nurũ, aut consobrinã, aut de ppria cognatione, aut q̄ cognatus habuit, duxerit vxorẽ, anathema sit. I T E M, si quis viduã furatus fuerit in vxorẽ & virginem, nisi eam desponsauerit, anathema sit. Item, si quis ariolos, aruspices, vel incantatores obseruauerit, aut phylacteriis vsus fuerit, anathema sit.* Hic ordinauit Episcopos 150. presbyteros 25. diaconos 4. Qui defunctus est 3. Idus Februar.

C. Romanum  
tom. 3. Concil.  
Cap. 1. & 2. 3.  
4. 5. 6. 7. 8. 9.  
10. 11. 12.

N

X C II.